







1.  
10.  
2.  
3.  
4.  
4.  
5.  
...  
6.  
7.

1<sup>a</sup> Antiquieth

1798.

1. <sup>6</sup>Blumhert, Augustus Gotthart: Punitioe communi opinio.  
nis de acceptatione in lumbone mortis causa necessaria
- 1<sup>5</sup> <sup>15</sup>Boehmer  
2. Boehmer, Georgum Rudolphus: De medicamentis vegetabilibus  
sappinitis
3. Kilian, Conradus: De pretis rerum furto ablatarum ritus  
constituentis.
4. <sup>10</sup>Kreyzig, Fredericus Ludovicus: Facultatis medicinae Viteberg.  
... Decanus: Oratoriam inaus. Georgii Frederici
- 4<sup>6</sup> <sup>10</sup>Wachii impert. tract: De sanguine vita destitute  
<sup>10</sup>Kreyzig-Fuldeberger
5. <sup>10</sup>Stuebel, Christophorum Conradus: Orat. juridici ... Decanus:  
... summus in jure honores ... candidato Augusto Gotthart.  
Blumherters. ... conferendo insuet.
6. <sup>10</sup>Stuebel, Christophorum Conradus: Orat. juridici ... Prodecanus:  
summus in jure honores ... candidato Conrado Kliewer  
... conferendo insuet

7.

7. Fickes, Salomo Cimbrius: Dissertationis in ang., quaedam  
experimenta chemica cum tribus mineris stanniferis  
in variscia obtusis, stannumque ex iis dem elicitis, in-  
stituta, exhibens.

8. Womdorffius, Grollub: Vid. juris... Decanus: Lectori  
honoris salutem (ad populationem in ang. Inimicis  
Benjaminis Peykeri irritat) Twest: de filii exaltati  
nobilitatis in Saxonia beneficiis competentiae gen-  
teant?

9. Womdorffius, Grollub: Dissertationis inauguralis juris d'ca  
systema novum ad rationem sagalem et togatam

9b. Wiesand - Wiesand  
spectantia capita.

10. Zachariae, Carolus Salomo: Historiae feudorum nobilitatis  
quae sunt in dominis principis Michaelis Saxonum  
Cimbriis

11. Zachariae, Carolus Salomo: De Divisione Saxoniae Westphalicae  
lis in circulos.

1<sup>a</sup> Carolinus

1799. 1<sup>o</sup> Ebert

1. Knezel, Emman. Gueff. Carolinus: Collegii jurisdi. . . .  
Decanus l. b. s. (ad reputationem in ang. Groti. Ferdina.  
D. Wese iuritat.
2. Knezel, Emman. Gueff. Carolinus: Anadem an jure abso  
v. absores
3. Knezel, Emman. Gueff. Carolinus: De quantitate annua,  
in pie cause fervorem legata, certa quavis si-  
mul assignata sorte, immutabili 3<sup>o</sup> Kreyzig-Schroeter  
Kreuzler, James Gueff. Groti.
4. ~~Fischer~~ <sup>Kreuzler, James Gueff. Groti.</sup> Conradus Salonus: De interdictis ordinariis abque  
summeriis nec non de interdictorum processu.
- 4<sup>o</sup> <sup>Tilimo</sup> Wese, Conradus Ferdinand: De rebus, quibus damni facto doli  
restitutio fieri possit, ac de hujus, expensam contigendam,  
effectu.
6. Wierandus, Georgius Heptemus: Ed. jurisdi. . . . Decanus:  
Lectori benevola salutem (ad reputationem in ang. Groti.  
Gueff. Maenleri iuritat.)
7. Wierandus, Georgius Heptemus: De testamenti factioe  
Lipparicus
- 7<sup>o</sup> Wierand - Kneudorf

8. Wunder, Carolus Fredericus: Utinam prima Joannis epistola  
 cactui a Judaicis et Judaeo-Christiano mixto scripta  
 est.
9. Zachariae, Carolus Salomon: de dominis, quod est auctori in libris  
 a se conscriptis
10. Zachariae, Carolus Salomon: Monumenta fidei Romani de  
 delictis eorumque poenis perlocutionibus sint?

1600.

1. Franke, Joannes Christianus: De ratione stupri violenti
2. Hommelius, Christianus Gottlieb: Varia juris capita.
3. Moeller, Joannes Gottfriedus: De notariis publicis
4. Kreygel, Ernestus Gottfr. Christianus: Capita juris varia  
<sup>5<sup>a</sup> Kreygel - Kötzel</sup>
5. Moeller, Joannes Gottfriedus: De notariis publicis
6. Moellerus, Joannes Gottfriedus: Observationes quaedam  
 a  
 de iuris criminalis criticae.
- 68 Poenitentia
7. Titius, Salomon Combarbionus: Mortis epizyotici felicitas a. 1797  
 fatalis historia



8. Wernsdorffius, Guelic. Ord. juri Dci. . . Decanus.

Pictori benevole salutem (ad DD publicationem Caroli Frederici  
Bursiani invitata) Inest: An ea, quae stuprum pona est,  
si Imperatorum actione ei sponsa convenerit, transactione  
autem interveniente, huic h. renunciaverit, idem p. p. p.  
possit?

9. Wernsdorffius, Guelic. ~~Ord. juri Dci.~~ Decanus: Capita  
juri varia.

10. Wernsdorffius, Guelic. Capita juri varia

11. Wiersandis, Georgii Stephani: Theses juri variae

12. Wiersandis, Georgii Stephani: Theses juri variae

13. Zachariae, Cordus Salomon: Origines oeconomiae civitatis  
in territorio imperii Germanici receptae


*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*



PERENNISSIMO SACROSANCTAE PRINCIPIS  
ELECTORI

2  
1

IN SENIA CERVALLI OSSEA PER  
ORDEMA INGRAENA MOVE  
L'INGGAM LETHALI



VAD AVIENDAS PRAEFLECTIONES



Cl.  
178

1778

9/5  
1799

DISPUTATIO INAUGURALIS

DE MODIS, QUIBVS DAMNI FVRTO DATI  
RESTITVTIO FIERI POSSIT, AC DE HVIVS,  
AD POENAM MITIGANDAM, EFFECTV

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRO SVMMIS

IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

RITE CONSEQVENDIS

DIE IV. NOVBR. A. R. S. MDCCCCLXXXIX

H. L. Q. C

SINE PRAESIDE

DEFENSVRVS EST

AVCTOR

CAROLVS FERDINAND WEISE

IVRIS VTRIVSQVE CANDIDATVS

VITEBERGAE

LITERIS TZSCHIEDRICHII



DEPTO. DE INDIAS  
DE LOS REYES CATOLICOS DAMN. EN TWO DATE  
DEPARTO DE INDIAS, DE LOS REYES  
AD DON. M. ANTONIO DE MENDOZA

DEPARTO DE INDIAS  
DE LOS REYES CATOLICOS DAMN. EN TWO DATE  
DEPARTO DE INDIAS, DE LOS REYES  
AD DON. M. ANTONIO DE MENDOZA

DEPARTO DE INDIAS  
DE LOS REYES CATOLICOS DAMN. EN TWO DATE  
DEPARTO DE INDIAS, DE LOS REYES  
AD DON. M. ANTONIO DE MENDOZA



V I R O

SVMME VENERABILI EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO

DOCTISSIMO

D. IOANNI FRIDERICO BVRSCHERO

EPISCOPATVS MISENENSIS PRAELATO ET CAPITVLARI

THEOLOGIAE PROFESSORI PRIMARIO IN ACADEMIA

LIPSIENSI STIPENDIATORVM ELECTORALIVM EPHO-

RO PRIMO FACVLTATIS THEOLOGICAE ET NATIONIS

POLONICAE SENIORI ACADEMIAE LIPSIENSIS DE-

CEMVIRO PHILOSOPHIAE PROFESSORI PVBLICO EX-

TRAORDINARIO COLLEGGI MAIORIS PRINCIPVM

COLLEGIATO PLVRIVM SOCIETATVM ERVDITO-

RVM SODALI ETC. ETC.

HOC

SPECIMEN ACADEMICVM

D. D. D.

SIMVLQVE

VITAM AD SEROS VSQVE ANNOS INCOLV MEM

SECVNDISSIMISQVE REBVS QVIBVSVIS ABVND E LAETAM

SVMMA ANIMI RELIGIONE APPRECATVR

CVL TOR DEVOTISSIMVS

CAROLVS FERDINAND WEISE.



§. I.

**I**n diiudicandis et puniendis delictis non solum ad gradum libertatis, quem reus in agendo habuit, (qualitas seu magnitudo subiectiua delicti) respiciendum, sed praesertim etiam damni dati (quantitas, seu magnitudo obiectiua) rationem habendam esse, nemo facile in dubium vocauerit. Aestimatur autem gradus libertatis s. magnitudo subiectiua ex modo, quo delictum perpetratum est, ex difficultatibus atque impedimentis, ab eius auctore remouendis ac superandis, et ex animi viribus, quibus instructus est. Quo plures igitur caeque grauiores sunt causae, quae aliquem a committendo delicto auocare ac detertere potuissent, eo maior dolus aut culpa ipsi imputari potest. In determinanda vero quantitate, s. damno ex delicto oriundo, consideratur ipsa iurium violatorum sanctitas atque praesentia. Quapropter multum interest, vtrum laesio iura totius societatis civilis collegialia, an singula eius membra proxime afficiat, vtrum iura violata sint alienabilia, an inalienabilia, vtrum vnum tantum ius, an plura simul turbata fuerint, vtrum denique damnum sit reparabile, an irreparabile. 1)

Facile autem diiudicari potest, quantitas eorum delictorum, quae proxime contra aliorum bona committuntur, cum in his vindi-

1) Haec omnia vberius exposuerunt C. C. STÜBEL V. Ill. in *System d. peinl. Rechts*, §. 411 sqq. et 204 sqq. KLEINSCHRODT V. Ill. *Systemat. Entwicklung der Grundbegriffe u. Grundwahrheiten d. peinl. Rechts*, Th. I. §. 45 sqq.

— 2 —

candis poena, rerum ablatarum pretio, accommodanda sit. Modo delinquens alia iura, quae circa vitam, libertatem, valetudinem et corporis integritatem competunt, non simul offenderit; 2) tunc enim, non tam ad damnum patrimonio alicuius illatum, quam potius ad vitae et valetudinis periculum, quod laeso aliisque simul imminuit, aut re vera datum est, respicitur. Legislator, qui facta quaedam, tanquam delicta describit, eorumque notionem et poenas constituit, semper praesupponit certum quendam libertatis gradum et damni exinde metuendi quantitatem. Si igitur iudex in applicandis his legibus animadvertit, in casu obvio non deprehendi ea requisita, quae legislator, cum poenam statueret, in mente habuerit, in ea irroganda iudex modum seruare et a poenae rigore aliquid remittere debet. Delictis, in quibus vindicandis damni aliorum bonis illati ratio habenda est, praesertim adnumeratur furtum simplex, sub quo intelligimus dolosam rei alienae mobilis ablationem, lucri causa et invito domino factam; nec non delictum eorum, qui, scientes et lucri gratia, fures recipiunt, res ab iis ablatas ulterius transferunt, occultant, aliis vendunt aut ipsi emunt, et qui vno nomine *Partihierer* vocari solent. Cum vero in poenis, eiusmodi delinquentibus constitutis, damnum laesi patrimonio illatum spectetur, haec necessario mitigari debent, si hoc, rerum ablatarum restitutione in totum vel pro parte facta, aut imminutum aut plane sublatum fuerit. Ipsae quoque leges nostrae restitutionem rerum furtiuarum tanquam iustam poenam mitigandi causam agnoscunt. 3) Praecipit enim *Constitutio Carolina* in *Art. 160*: „*Mehr*

2) Id, quod e. g. in rapina et furto qualificato accidit.

3) Sunt, qui statuunt, restitutionem furi etiam iure Romano prodesse ad poenam minuendam *Arg. L. 19. pr. D. ad L. Commun. de fals.* Contrarium tamen apparet ex *L. 65. D. de furtis*: „*Qui ea mente alienum quid contrahatur, ut lucri faceret, tam etsi, mutato consilio, id domino*

soll ermessen werden der Stand und das Wesen der Person, und wie schädlich dem Beschädigten der Diebstahl seyn möge etc. Exinde recte colligitur, poenam ordinariam locum habere non posse, si, secuta restitutione, laeso satisfactum ipsique furtum non amplius damnosum sit. Ita quoque disponitur in *Constitut. Elect. 33. Part. IV.*: „Und nachdem denen Rechten gemäß, das derer Diebe halben, so ihrer begangenen Laster halben, zeitliche Reue tragen und dasjenige, so sie gestohlen, ehe sie zum Gefängniß gezogen, oder beklagt werden, wiedergeben.“ Et in *Mandato Elector. d. 27. Jul. 1719.*: „Es wäre denn, das, bey gemeinen und Hausdiebstählen, der oder die, so den Diebstahl begangen, von selbst, ehe die Inquisition angefangen poenitiret“ etc. 4) Quae lex causam mitigandi in poenitentia, a fure demonstrata magis, quam in damni restitutione ponere videtur. Licet vero multi iam de hac materia scripserint, 5) quaedam tamen adhuc superesse videntur, quae accuratori explicatio- ne indigent, qua propter ego, oblata hac scribendi occasione, nonnulla de modis, quibus rerum ablatarum restitutio fieri possit ac debeat, et de eius, ad poenam furti mitigandam, effectu, exponere constitui.

postea reddidit, fur est. Nemo enim tali peccato nocens esse desit. Et ex *L. 52. §. 3. D. cod.*: Cum furzi actio ad poenae persecutionem pertineat, conditio vero et vindicatio, ad rei recuperationem, apparet, recepta re, nihilominus saluam esse furzi actionem. Generatim vero principia iuris Romani, quo furtum pro delicto priuato habetur, nostris temporibus parum accommodata sunt.

- 4) Cf. etiam *Refer. d. 20. Aug. 1720. in Cod. Aug. Tom. I. p. 1930.*  
 5) Pertinent huc I. F. LVDOVICI *Disput. de restitutione rei furtivae* (Halae 1712). C. A. BER *Disput. de eo quod iustum est, circa restitutionem rerum furtivarum* (Ien. 1726). F. A. HOMMEL *Disp. de mitiganda furri poena ob restitutionem rei ablatæ* (Lipl. 1737. et 1751).

## §. 2.

Damnum furto illatum reparari potest I.) restitutione rei ablatae in natura adhuc existentis. Queritur autem, vtrum rei ereptae recuperatio etiam in eo casu ad mitigandam poenam aliquid faciat, si cum detrimento tertii coniuncta sit, e. g. si hic, rem, a fure bona fide emtam, domino vindicanti, sine pretio restituere coactus, damnum sentiat, quod ipsi a fure paupere reparari non possit. Sunt <sup>1)</sup> qui statuunt, restitutionem etiam in hoc casu attendendam esse, cum amissio pretii, quam emtor post rei furtivae vindicationem patiat, magis occasione furti, quam ex ipso furto oriatur. Praeterea verba Constitutionis Carolinae: <sup>2)</sup> *wie schädlich dem Beschädigten der Diebstahl seyn mag*, ad eum tantum, qui furtum passus sit, restringenda, minime vero ad damnum tertio datum extendenda esse. Furem denique laeso ex ipso furto teneri, a tertio autem, tantum ex Lege Aquilia, adversus eum agi posse. Ipsae leges Saxonicae hanc opinionem, quae etiam ERHARDO V. Ill. placet, <sup>3)</sup> confirmare videntur. Etenim Rescriptum d. XX. Aug. 1720. <sup>4)</sup> poenam furti mitigandam esse iubet, *wenn der Bestohlene die gestohlenen Sachen, oder deren Werth, sonst (i. e. a tertio) wieder erhält*. At vero causa, cur rei ablatae restitutio poenam furti minuat, sine dubio in eo posita est, quia hoc modo damnum, ex eo ortum, tollitur aut minuitur. Si itaque laesus quidem rem ablatam recuperat, sed tertius pretium amittit, effectus facti illiciti non cessant, licet non furtum passum sed tertium afficiant.

1) I. S. BOEHMER ad CARFZOVIUM, Quaest. 70. observ. 5. F. A. HOMMEL Disput. cit. §. 10. I. B. WERNER *Observat. forens.* Part. IX. obl. 101.

2) Art. 160.

3) *Handbuch des Churfürstl. peinl. Rechts*, §. 360.

4) In *Cod. Aug.* Tom. I. pag. 1930.

Quapropter etiam alii Icti vt, CARPZOVIVS, 5) LEYSERVS, 6) LVBOVICI, 7) MENKEN 8) et QVISTORPIVS 9) expresse requirunt, vt reparatio damni, furto illati, absque tertii detrimento fiat, idemque statuit Ius Prouinciale Borussicum. 10) Praeterea non video, cur vox *laesi*, cuius Constitutio Carolina mentionem facit, tantummodo de furtum passio, neque etiam de tertio bonae fidei possessore, cui fur, iniusta rei ablatae alienatione, nocet, intelligenda sit. Quod denique Rescriptum modo allatum attinet, in eo diiudicando, ad tempus, quo datum est, et ad rationes, quae legislatorem, eo, vt, in mitiganda furti poena, tam facilem se praeberet, adduxerunt. Olim enim furto magno poena capitalis, etiam in Saxonia Electorali, imminabat; cum vero legislatori pariter ac Ictis, de nimia huius poenae seueritate, persuasum esset, omnem adhibuerunt operam, vt furi misero succurrerent, eiusque vitam conseruarent. Hinc saepe, vt in aliis delictis, e. g. in adulterio, ita etiam in furto, ad causas mitigandi confugiebant, quae argumentis, ex aequitate et misericordia petitis, non vero ex principiis iuris criminalis vniuersalibus defendi possunt. Nostri autem temporibus, cum, sublata poena capitali, is, qui furti simplicis reus est, ad summum ergastulo X. annorum puniatur, 11) omnes causae mitigandi, quarum fundamentum vnice in seueritate poenae, quam Icti hac ratione eludere studebant, positum est, plane

5) *Pract. rer. criminal.* Part. II. Quaest. 80.

6) *Spec.* 535. med. 13.

7) *Disput. cit.* §. 13.

8) *Lib. XLVII. Tit. II. §. 23.*

9) *Grundfürze des peinl. Rechts,* §. 379.

10) *Part. II. Tit. XX. §. 1116.*

11) *EREARD V. III. l. c. §. 355. not. \*\*.*

exulant. Eadem, quae hactenus exposui, principia merito etiam applicantur ad eum casum, si dominus ipse, ut rem suam a fure venditam eo facilius reciperet, tertio possessori pretium illi solutum restituit. Quamvis enim dominus, ad refundendum emtori rerum furtivarum pretium, non obligetur, tamen ea concedere non possum, quae HOMMELIVS 12) exinde deriuare vult, si scribit, dominum de damno, furto sibi illato, conqueri non posse, si pretium vltro et citra necessitatem soluerit, neque furi intempestiuam domini liberalitatem nocere. Quid enim impedire potest dominum, quo minus, ad rem suam statim sine ambagibus recuperandam, pretium tertio possessori restituat, et quomodo ea, quae dominus, sui ipsius commodi causa suscipit, furi vtilitatem asserere possunt? Damnum delicto datum hac ratione non tollitur, si dominus ad euitandam litis, cum tertio possessore instituendae, molestiam, rem suam ab eo redimere coactus fuit. Neque etiam hoc factum domini ita explicari potest, ut hic liberalitatem quandam erga furem, qui ea se facto suo indignum reddidit, ostendere voluerit. Ceterum vero haec ipsa liberalitas domini, maiorem vim quam remissio, quippe quae furi non amplius prodest, habere non possit.

12) Disput. cit. §. II.

§. 3.

Non vero ad damni furto dati reparationem requiritur, ut fur ipsas res ablatas domino reddat, sed sufficit, si II.) earum aestimationem praestet. In hac autem, quatenus de poena infligenda et mitiganda agitur, respiciendum est ad verum pretium, quod aut taxatores iurati determinarunt, aut dominus ipse iureiurando confirmauit. 1)

1) CAR. KLIEB V. Iur. Consultiss., Disput. inaug. de pretio rerum furto ablatarum rite constituendo, §. 8. 9. (Viteb. 1798).

Licet furtum passus lucrum cessans, et id, quod interest, actione civili a delincente petere haud prohibeatur. Si plures, inita societate et coniunctis viribus, furtum committunt, quilibet eorum non totius omnium rerum ereptarum pretii poena afficitur, neque etiam lucri a singulis re vera percepti ratio habetur, sed tota quantitas inter eos diuidi, et quilibet pro rata eius, quod, diuisione aequaliter facta, percipere potuisset, puniri debet.<sup>2)</sup> Etenim maius lucrum, quod vnus vel alter accepit, tanquam donum, ipsi a reliquis datum, considerandum est. Id igitur, quod vnus eorum restituit, non huic solum prodest, sed etiam reliquis imputatur, eorumque poenam simul minuit. Hinc si ex tribus, qui coniunctim trecentos thaleros eripuerunt, vnus centum et quinquaginta thaleros restituit, hoc non solius restituitis, sed etiam reliquorum poenam simul minuit. Etenim assumitur, quemlibet centum thaleros accepisse, et a singulis quinquaginta thaleroꝝ quantitatem restitutam esse, sine respectu vtrum in communiōe manserint, an lucrum inter se diuiserint, et quomodo diuisio facta sit. Aliae autem regulae obtinent in definienda et mitiganda poena eorum, qui, dum alii furtum simplex committunt, in excubiis stant, licet ipsi nihil auferant, res ab aliis ablatas vterius transportant, furibus, delicto iam peccato, perfugium praestant, res subreptas occultant, ex mandato furis vendunt, aut ipsi scienter emunt. Hi omnes enim pro sociis inaequalibus habentur, atque non pro rata lucri, quod ex facto illicito percipere potuissent, sed quod re vera perceperunt, puniuntur.<sup>3)</sup> Deinde etiam pars lucri ab iis percepti ipsi furi haud prodest.

2) Arg. *Const. Elect. 32. P. IV: Und wo siber viele etc.* CARPZOV. *Pract. rer. crim.* Quaest. 78. n. 39 sqq. BERGER. *Oec. Iur.* Lib. III. Tit. IX. th. 7. n. 4. KLIEN *Disput. cit.* §. 7. pag. 19.

3) BOEHMER. *Medic. ad Constit. Carol.* Art. 160. §. 12. C. F. HOMMEL. *Rhapso. Obseru. forens.* obl. 296. QVISTORP. *Grundf. d. peinl. Rechts;*

est, ideoque in eo puniendo ad totum omnium rerum ereptarum pretium respicitur, neque ea, quae receptatores aut alii auxiliatores adquisuerunt, subtrahuntur. 4) Praeterea etiam restitutio furti, ab ipso fure facta, poenam sociorum inaequalium haud minuit, nisi ipsi improbum lucrum restituant. Hinc rerum a fure restitutarum pretium inter ipsum et socios inaequales haud diuiditur, neque quantitas lucri ab his percepti hac ratione minuitur, sed in poena iis infligenda, ad hoc tantummodo respiciendum est, vtrum portio lucri, a fure iis assignata, cui poena accommodari debet, imminuta aut reddita fuerit. Distinguendum autem videtur, vtrum fur omnium rerum ereptarum pretium, ideoque etiam eam partem, quam socii inaequales exinde perceperunt, an eam tantummodo, quam ipse deductis iis, quae sociis inaequalibus assignauit, saluam habuit, restituat. Priori casu id, quod redditum est, soli furi, non vero sociis inaequalibus simul imputatur, ideoque illius quidem, non vero horum poenam minuit. Posteriori autem dubium non est, quin restitutio, a fure in totum facta, etiam sociis inaequalibus vtilitatem praestet. Cum hac ratione damnum furto datum penitus sublatum sit et domino perinde esse possit, vtrum a sociis furti inaequalibus, an ab ipso fure res ablatas vel earum pretium receperit. Cum enim, vt deinde demonstrandum erit, etiam

ter-

§. 372. Rescript d. 17. Febr. 1721. PÜTTMANN, de receptatoribus, Cap. III. in *Aduersf.* Lib. II. p. 250. In Rescripto, cuius modo mentionem feci, dispositio Mandati d. 27. Jul. 1719. qua ii, welche gestohlene Sachen zu sich nehmen und verparthieren helfen, ipsis furibus aequiparantur, sublata est.

- 4) Verba Rescripti in nota 3. allati sunt: *Wie wir denn die Meinung nicht gehabt, daß die Diebe und der Hebler pro sociis (aequalibus) gehalten, und dasjenige, was der letztere participiret, oder, wenn er mirgerechnet worden, participiren können, dem erstern zu staten kommen solle.*



tertius, animo donandi, damnum furto datum refarcire atque ipsi furi hoc modo succurrere possit, non video, cur furi liberum esse non debeat, restitutione in totum facta, sociorum inaequalium conditionem tolerabiliorem reddendi. Alia autem hoc loco oritur quaestio, utrum restitutio eius partis, quam socii inaequales ex furto perceperunt, ipsi furi simul utilis sit, quae sine dubio affirmanda est. Si quis, ut exemplo utar, LX. thaleros furto eripuit, postea autem alii, ut ipsi perfugium praestet eumque reciperet, X. thaleros dedit, et hic, postquam una cum fure inquisitioni subiectus est, X. thaleros restituit, cum fur ipse nihil reddere possit, restitutio utrique prod- est. Quamvis enim assumatur, furem LX. thaleros abstulisse, ipsi- que X. thaleri a socio inaequali percepti simul imputentur, nunc tamen X. thaleri ab hoc redditi sunt, et quantitas totius furti immi- nuta est. Ideoque in fure puniendo respici debet ad regulam istam, usu fori receptam, qua is, qui summam L. thaleris maiorem abstulit, et tantum restituit, ut residuum damnum hanc quantitatem non exce- dat, non, ut alias, per X. annos ergastulo includi, sed ei ab hac poena aliquid remitti solet. Pari modo poena ordinaria, quae so- cio inaequali ob lucrum X. thalorum ex facto illicito perceptum imminebat, ob restitutionem, ab eo ipso praestitam, mitiganda est.

## §. 4.

Iure communi etiam III.) remissio eisdem effectus habet, quos ipsa restitutio producit.<sup>1)</sup> Est autem remissio, declaratio, qua lae- sus iniuriam sibi illatam furi ignoscit ac iuri suo, damni furto dati restitutionem postulandi, renunciat. Eadem sententia olim in Saxo-

1) QVISTORFS *Grundsätze des peinl. Rechts*, §. 345. HOMMEL *Disput.* cit.

nia erat recepta. In Rescripto saepius laudato 2) inueniuntur verba: *oder auch dem Inquisiten sofort oder hernach remittiret*. Nostri autem temporibus remissio, in poena furti constituenda, in regula non amplius attenditur. 3) Licet enim plerumque contendant, de damno illato conqueri non posse eum, qui, quod sibi ablatum sit, vltro ex bonis suis dimittat, ideoque, sua quasi culpa, damnum sentire intelligatur; 4) tamen non desunt rationes, quibus iuris Saxonici recentioris dispositio defendi potest. Si enim remissio furis poenam adhuc mitigaret, saepissime accideret, vt laesus, cui iam persuasum esset, se, a fure paupere, res amissas vel earum pretium recuperare non posse, precibus delinquentis, vel defensoris et aliorum, qui pro illo intercedunt atque intempesiuam erga eiusmodi homines misericordiam excitare solent, imo interdum ipsius iudicis inquirentis auctoritate, commoueretur, ad animum suum de furto remittendo declarandum. Hac autem ratione efficeretur, vt maxima furta, propter remissionem secutam, non nisi leuioribus poenis coercerentur, atque haec nimia lenitas non solum ipsum delinquentem a similibus factis non satis deterreret, sed alios etiam ad delinquendum quasi inuitaret. Attamen leges nostrae exceptionem faciunt, et remissionis a laeso subsecutae rationem habendam esse iubent, si furtum a proximis cognatis est commissum. Hi enim non solum, qua tales, poena leuiori coercerentur, sed ea quoque, subsecuta remissione, magis minuitur. Quanam vero personae sub proximis cognatis sint intelligendae, iure communi non satis

2) d. 26. Aug. 1720. in *Cod. Aug.* Tom. I. pag. 1930. Conf. etiam *das Generale, das Verfahren in Untersuchungssachen betreffend*, d. 27. Oßbr. 1770. §. 4.

3) *Generale, das Verfahren in Untersuchungssachen betreffend*, d. 30. April 1783. §. 5.

4) F. A. HOMMEL *Disput* cit. §. 4.

est definitum. Ius Romanum quidem huc refert vxorem, 5) patrem et liberos, 6) Constitutio Carolina 7) tamen loquitur tantummodo de furto, a proximis heredibus commisso, lenius puniendo. Accuratus haec quaestio definita est in Constitutione Electorali inedita VI., 8) vbi inueniuntur verba: *Wenn Mann und Weib, oder Kinder einander befehlen, so sollen dieselben mit willkührlicher Strafe — belegt werden. Also auch wenn nahe Freunde, innerhals des vierten Grades, als Bruder und Bruderskinder, einander befehlen.* 9) Quae dispositio vsu fori etiam ad affines, in eodem gradu coniunctos, extendi, 10) et tunc quoque applicari solet, si vinculum affinitatis morte iam solutum fuerit. 11) Rationem vero, ob quam cognati proximi, furtum committentes, poena extraordinaria tantummodo afficiantur, praesertim in eo ponunt, quia natura societatis, in qua viuunt, eos ad rerum domesticarum communionem admittat, ideoque res quasi suas auferant. Sed primo haec ratio tantummodo ad patrem et liberos, maritum et vxorem, fratres et sorores, in vna domo adhuc commorantes, pertinet; deinde etiam causae mitigandi, quae ab vna parte exinde deriuari possunt, ab altera parte rursus euanescent, si perpendimus, eiusmodi factum delinquenti eo

A 2

- 5) L. 2. D. de act. rer. amor. L. 25. ibid. L. 2. C. b. z.  
 6) L. 16. D. de furr.  
 7) Art. 165.: *So einer aus Leichtfertigkeit oder Unverstand etwas nehme von Gütern, deren er sonst ein nächster Erbe ist. Cfr. MATTHAEI de criminibus Tit. de furtis, Cap. I. §. 12.*  
 8) In Cod. Aug. Tom. I. pag. 134.  
 9) CARPZOV. Pract. rer. crim. Quaest. 82.  
 10) BERGER. Oec. Iur. Lib. III. Tit. IX. thes. 5. not. 9. MENKEN. Pandd. Lib. XLVII. Tit. 2. §. 6. et 23. HOMMEL. Rhaps. Quaest. for. obl. 540.  
 11) WERNHER. Observ. for. Part. II. obl. 381.

magis esse imputandum, quo arctiori coniunctione et necessitudine laeso obstringatur, et quo difficilius sit, furandi occasionem ei praeripere. <sup>12)</sup> Argumenta autem, quibus commotus, legislator noster, remissionem, in furto a proximis cognatis commisso attendendam esse iussit, haec esse videntur: quia *primo* furtum ab his perpetratum per se non tam graue habetur, quam id, cuius extranei se reos fecerunt, ideoque legislator erga illos in mitiganda poena sese benigniorem praebere posse existimauit; *deinde*, venia, quam laesus proximis cognatis dat, magis a naturali amore erga eos profecta, quam aliorum importunis sollicitationibus extorta videtur; *tertio*, laesus amissionem rerum ablatarum non tantopere sentiat, cum in eius familia remanserint et a persona, cui liberalitatem suam magis, quam aliis, demonstrare solet, acquisitae fuerint. Ceterum vero vsu fori non requiritur remissio simplex, sed sufficit, si facta sit sub conditione, si fur res ablatas restituere nequeat. Denique domino, antequam de remissione interrogari poterit, mortuo, heredes eius quaerendi sunt, vtrum veniam dare velint, nec ne. Licet enim, morte laesi subsecuta, omnis vltio cessare videatur, neque actiones solam vindictam spirantes ad heredes transeant, tamen diuersa est ratio actionum civilium et criminalium. Debita non remittit, qui moritur, sed eius heredes, qui in omnia iura, quae ossibus non inhaerent, succedunt, potestatem consequuntur, id, quod defuncto per furtum fuit ablatum, quomodocunque persequendi. <sup>13)</sup>

12) Ad haec argumenta respexisse videtur Legislator Borussiae, si disposuit, vt furta a proximis cognatis commissa, quorum inquisitionem laesus petierit, poena ordinaria coercerentur. *Ius Prov. Boruss.* Part. II. Tit. 20. §. 1133-36.

13) C. F. HOMMEL. Disput. cit. §. 16.

## §. 5.

Praeterea vero dubium non est, quin damnum furto illatum etiam IV.) compensatione tolli queat, cum haec sit instar solutionis. Si id, quod furi, ad restitutionem obligato, dominus rei ablatae vicissim debet, sit liquidum, purum, exigibile et ad idem genus spectans, obligatio furis, ad satisfactionem laeso praestandam, hoc etiam inuito, tollitur, illiusque poena minuitur. 1) Deficientibus autem his requisitis, laesus, ut in compensationem consentiat, cogi nequit, sed fur eum actione civili convenire debet, qua demum finita, ea, ad quae praestanda furtum passus condemnatur, eidem loco restitutionis assignari possunt. Si contra dominus rerum ablatarum de debito illiquido et ad aliud genus spectante, transigere, et compensationem sponte admittere velit, huic in poena furis mitiganda a iudice iidem effectus, quos restitutio producit, tribuendi sunt, modo negotia, quae inter furem et laesum intercedunt, non sint simulata et remissionem magis, quam veram transactionem involvant. Qua in re diiudicanda multum prudentis iudicis arbitrio relinquendum est. Denique vero quaeritur, utrum poena furti tunc mitigari possit, si V.) tertius pro fure intercesserit, atque, animo donandi, rerum ablatarum pretium domino restituerit? Si ad Rescriptum saepius allatum respicimus, res expedita est. Hoc enim restitutionem a tertio factam attendendam esse iubet his verbis: *wem der Dieb für sich selbst, oder ein Anderer, vor ihm, wem es gleich* animo donandi

1) Is tamen, qui contendit et probabiliter demonstrat, se res alterius eo consilio abstulisse, ut hoc modo consequeretur id, quod hic ipsi debuerit, poena furti affici nequit, cum animus lucri deficiat, ac delinquens propterea tantum arbitrarie coercendus sit, quia ausu proprio ac sine interveniente iudicis auctoritate ius suum persequi non dubitaverit.

geschiehet, — restituiret. <sup>2)</sup> Hoc autem praesupponit poenam capitalem furi imminentem, et propterea etiam remissionem admittit. Sed cum iure Saxonico recentiori illa sublata sit, et haec furi utilitatem non amplius praestet, probabile est, etiam restitutionem tum demum effectum habere, si ab ipso fure, non a tertio, facta sit. At vero dispositio iuris Saxonici recentioris, cum partim a iure communi recedat, partim in odium furis aliquid statuatur, magis restringi, quam extendi debet. Praeterea rationes, quae legislatorem eo adduxerunt, ut remissionem a laeso subsequendam, in poena furi irroganda negligendam esse, iuberet, non omni ex parte ad restitutionem, a tertio animo donandi factam, applicari possunt. Legislator enim id tantummodo intendit, ut laesus, ablatione, detrimentum non sentiat, si fur poenae ordinariae mitigationem sperare velit. Illi autem perinde esse potest, utrum damnum a fure, an a tertio reparatur. Porro deficit occasio tertium iisdem modis ad restitutionem, pro fure praestandam, adigendi, quibus olim laesum, ad animum de furto remittendo declarandum, impellere solebant. Neque etiam, cum casus, ut tertius pro fure restituat, rarissime accidat, metuendum est, fore, ut alii, spe, restitutionem a tertio impetrandi, atque poenae mitigationem obtinendi, ad furta committenda alliciantur. Ex his omnibus apparere videtur, tertium damni laeso dati reparatione furi cum effectu succurrere, eiusque poenam etiam tunc minuire posse, si, rem ablatam bona fide emtam, domino vindicanti sine pretio restituere coactus, furi pretium amissum donare velit.

2) in *Cod. Aug.* Tom. I. pag. 1930.

Quo magis autem restitutio, et, quod proximos cognatos attinet, remissio furti, effectum habeat ad poenam furis mitigandam, requiritur, ut fur, aut qui furti particeps est, delictum ante transmissionem actorum, ad collegium, quod publica auctoritate de iure respondet, confiteatur. Quapropter iudex eiusmodi homines modo, in §. 5. Generalis d. 30. Aprilis 1783. praescripto, admonere debet, ne, inficiando, beneficii ex restitutione, aut, pro re nata, remissione oriundi, iacturam faciant. Confessio igitur, ante actorum transmissionem facta, est conditio, sine qua restitutio aut remissio non attenditur. Olim delinquens monendus erat, ut ante coeptam inquisitionem specialem confiteretur.<sup>1)</sup> Cum vero in furto simplici examen ad articulos inquisitionales non amplius locum habeat, sed potius iudex statim in examine summario, omnia, quae ad reum accusandum aut defendendum aliquid faciunt, eruere debeat, atque prima sententia, si fieri possit, definitivae sit concipienda, haec dispositio mutata est,<sup>2)</sup> et confessio ante actorum transmissionem exigitur. Iure Saxonico antiquiori, quod confessionem ante coeptam inquisitionem specialem requirebat, dubium erat, utrum confessio tantum, an simul etiam remissio aut restitutio hunc actum praecedere deberet; sed haec quaestio ita decisa est,<sup>3)</sup> ut sufficeret, si remissio aut

1) *Generale; das Verfahren in Untersuchungsfachen betr. d. 27st. October 1770. §. 4.*

2) *Gen. d. 30. April 1783. §. 5.*

3) *Rescript d. 20. Aug. 1720. in C. A. Tom. I. pag. 1930. Ibi inveniuntur*

restitutio ante executionem, vel in totum, vel etiam particulariter, in certis terminis, consentiente laeso, constituitur, fieret. Nostris autem temporibus, restitutio fieri debet statim ante sententiam, sola enim promissio, de ea futuro tempore praestanda, non attendi, sed poena ordinaria iniungi et sententiae tantummodo clausula adici solet, ut, si ea postea praestetur, mitigatio poenae adhuc locum habere possit: *es könnte und wollte dem N. während seiner Aufbehaltung im Zuchthause das Entwendete (Verparthierte) ganz oder zum Theil, (vel etiam: zu einem mehrern Theile, si restitutio pro parte facta est, et iudex animadvertit, poenae aliquid detrahi posse, si quaedam adhuc reddantur, atque damnum, laeso illatum, magis minuatur) ersetzen; so ergeht, der Verminderung der ihm zuerkannten Strafe halber, ferner, was Recht ist; jedoch ist dessen Fortschaffung in das Zuchthaus, unter dem Vorwande des noch zu bewirkenden Ersatzes, keinesweges aufzuschieben.* \*) In furto a proximis cognatis commissio, iudex non solum admonitionem praescriptam: *daß Inculpaten, der, außerdem zu merklicher Verminderung der Strafe gereichende Ersatz des Entwendeten oder Verparthierten, bey sothane Erkenntnisse, nicht zu statten kommen werde, mutare et simul post vocabulum Ersatz verba: oder Erlaß inferere, sed etiam laesi declaratio-*

*ratio-*  
*tur verba: entweder sogleich, und auf einmal, oder, mit des Bestohlenen Bewilligung, nach Ablauf einiger Zeit und auf gewisse Fristen etc. Conf. etiam Rescript d. 18. Ian. et d. 7. Iun. 1721. ib. pg. 1937 et 1945.*

4) Cfr. C. D. ERHARDS V. III. *Handbuch des Chursächf. peinl. Rechts*, § 360. nota f. pag. 269.



rationem de furto remittendo ante actorum transmissionem virgere debet, alias poena, quae iusta videtur, sine speciali reservatione, determinari et delinquenti, ut in ulteriori defensione remissionem factam demonstret, relinqui potest, nisi forte iudex mitigationem, quae, remissione postea secuta, locum habere debeat, simul exprimere velit.

## §. 7.

Ceterum vero, ad poenam furti mitigandam, iam sufficit restitutio pro parte facta,<sup>1)</sup> ita, ut, usu fori, haec proportio obseruetur: I.) Si furtum excedit L. thaleros, et tantum restituitur, ut damnum residuum hanc quantitatem non superet, poenae ordinariae iam aliquid subtrahitur, eaque magis adhuc minui solet, si tantum reddatur, ut, id, quod reflet, ultra XII. thaleros et totidem grossos non ascendat. II.) Si rerum ereptarum pretium XII. thaleros et totidem grossos, non tamen summam L. thalerorum superat, et restitutio in totum vel in tantum facta est, ut residuum damnum XII. thaleros et totidem grossos non excedat, itidem mitigatio quaedam locum habet. III.) In aliis furtis XII. thaleris et totidem grossis minoribus, quae poena sex mensium ergastulo maiori, coercentur, restitutio in totum vel pro dimidia parte facta, reum a dimidia poenae ordinariae parte liberat. IV.) In furtis leuissimis, quae poena sex mensium ergastuli, vel etiam minor sequitur, restitutio ad hanc mitigandam nihil efficit,<sup>2)</sup> cum in

1) C. D. ERHARDT V. III. *Handbuch d. Cbursf. peinl. Rechts*, §. 360. not. †, pag. 269 in fine.

2) Idem libr. cit. §. 360.

his vindicandis prauum delinquentis consilium magis, quam damni illati quantitas, spectetur. Hoc etiam Constitutioni Carolinae consentaneum esse videtur; nam Art. 160., qui sedes ac fundamentum huius doctrinae est, tantummodo de furto magno agit, quod non solum inscriptio: *vom ersten Diebstahl 5 Gulden werth und darüber*, docet, sed ipsa quoque euincunt textus verba: *und die Strafe darnach an Leib und Leben urtheilen*. Contra vero in Art. 157 et 158., in quibus de poena furti parui sermo est, de mitigatione eius, ob praesitam rei furtiuae restitutionem, nihil inuenitur. Nimis certe poena furti minueretur, si iudex in furtis paruis, quae saepius, quam magna, committi, et facilius restitui solent, ad damni reparationem respicere eamque pro iusta mitigandi causa habere veller.

---

Emendanda:

Pag. 4. lin. 7. loco *starunz*, lege: *staruan*.

Pag. 5. lin. 8. post *verbum*: *diudicando*, adde: *respicere debemus*.






Wittenberg, Diss; 1799-1801







1778  
1799 9/5

DISPUTATIO INAUGURALIS  
DE MODIS, QUIBVS DAMNI FVRTO DATI  
RESTITVTIO FIERI POSSIT, AC DE HVIVS,  
AD POENAM MITIGANDAM, EFFECTV

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRO SVMMIS  
IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
RITE CONSEQVENDIS

DIE IV. NOVBR. A. R. S. CLOCCCLXXXIX

H. L. Q. C

SINE PRAESIDE

DEFENSVRVS EST

AVCTOR

CAROLVS FERDINAND WEISE

IVRIS VTRIVSQUE CANDIDATVS

VITEBERGAE  
LITERIS TZSCHIEDRICHII